



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 15. Cardinales denuo in gratiam Papæ recepti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV. tandemque obedientiam sibi debitam re-  
 A.C. 1403. stitui, & subtractioni postulat abrenun-  
 tiari.

## §. XV.

*Cardinales denuo in gratiam  
 recepti.*

Cardinales, qui ab eo defecerant, pari-  
 ter in ejus gratiam redire allabora-  
 runt; A principio repulsam simulabat  
 Pontifex, postquam vero ea, quæ ante-  
 hac egerant, ipsis acerbiorè objurgatione  
 exprobraverat, eosque ad majorem fide-  
 litatem imposterum sibi exhibendam ad-  
 hortatus fuerat, plenam eis concessit de-  
 lecti gratiam, Bullamque abolevit, qua sua  
 dignitate exutos, ad eligendum Papam,  
 si occasio ferret, incapaces declaraverat,  
 intentato etiam contra eos anathematis  
 fulmine. Hi ergo vigesima nona Aprilis  
 Papam adeunt, & in genua provoluti sup-  
 plices veniam deprecantur, quos Bene-  
 dictus in reconciliati animi testimonium  
 mensæ suæ adhibet: Ast necdum omnis  
 eorum disparuit timor, nam nil nisi mili-  
 tiæ Præfectos prandio accumbere, to-  
 tamque aulam armatis plenam conspi-  
 cientes, cum tamen potius Antistites, a-  
 liosque Ministros Ecclesiasticos interven-  
 taros sperarent, se certo certius omnes  
 truci-



trucidandos fore pertimescebant. Tandem vero omnem exuunt metum, dum se a Pontifice admodum benevole haberi conspiciunt, utpote qui ipse tunc de propriæ suæ Personæ securitate non parum sollicitus, nunquam sibi satis tutus videbatur, quamvis valida militum manus ad Ecclesiam euntem comitaretur, & usque ad ipsum Altare conduceret. Vero simile est, quatuor duntaxat præsentibus fuisse Cardinales, scilicet Guidonem Malefinum, Cardinalem tituli S. Crucis, alias dictum Cardinalem Pictaviensem, quod hujus Ecclesiæ Episcopus esset; Nicolaum Prancatium Cardinalem Albensem, Amadæum de Salutiis, sancti Marci Cardinalem, & Petrum Cardinalem S. Angeli. Hisce quatuor Cardinalibus illi, qui Avenione manserant, nomine suo rei gerendæ auctoritatem relinquebant.

Sæcul. XV.  
A.C. 1403.

§. XVI.

*Concordata Pontificem inter & Cardinales.*

Facta hac reconciliatione Papa & Cardinales omnibus adhibitis solemnitatibus mutua inter se inierunt pacta, comprehensis quoque Avenionensis Urbis Civibus atque inquilinis, quorum omnium